Rozprawy
de panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynows. za 5 złR.

17 r) S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 s) Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

19 t) Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 u) Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

21 v) Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 y) S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

23 z) Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 aa) Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 bb) Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 cc) Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

27 dd) Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 ee) Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29 ff) Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30 gg) Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

31 hh) Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 ii) Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

33 kk) Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 ll) Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam obiita Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1661. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epi. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, prz. J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl.) br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str.) br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracoviae 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conflecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8. h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9. i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10. k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11. l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12. m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15. p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

RESPONSUM

Ad

NUPERAM ILLAM ADMONITIONEM,

Gallico juxtà ac Germanico ſtilo,

Adverſus

SANCTIUS CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIUM,

Publicatam

EX CAUSSA

Mardici Anglis belli contra Regem Catholicum ſociis ceſſi.

Tacit. 4. Hiſt. 68, 9.

Hic *meditata Oratione contumelias & invidiam* in ſecretius Regis conſilium *effudit; turbidus miſcendis ſeditionibus, & plerisque gratus vecordi facundia.*

M. DC. LVIII.

SERIES RERUM.

* * *

Appendix eiusmodi admonitionis damnatorius, censorius.

I.

Consilium mihi,
Nullo assentandi studio, nullo adversus quenquam odio,
Simplicius exprimere caussam, Juxtaque opprimere invidiam
Federis Gallo-Anglici, ac traditi Anglis Mardici;
Quod pravus, ac pravè facundus, quidam nomine Gallus,
Procaci per Flandriam scripto,
Infestus Galliæ Germanus,
Verso per Germaniam stilo,
Malignius diffamare ausus:
Utrumque coram te,
Judicum integerrime, orbis Christiane;
Tu,
Qui blandiente nihil gratia sublimas,
Invidia nihil deprimis,
Christianissimi caussam Regis, & obtrectatoris audaciam,
Cognosce, Judica, Vindica.

II.

Catholicus Rex,
Qui
Primus novatum Angliæ statum agnovit liberum,
Quique
Ad singula semper intentus momenta potentiæ,
Gallicæ minuendæ, suæ augendæ,
Ratus,
Vel à Carolo Magno, ad Franciscum I. usque,
Anglos Gallis hostes,
Quò viciniores, eò olim fuisse perniciosiores,
Nunc verò fore ut cum maximè,
Quasi suspectis,
Quasi proximis mutati status & consanguineorum ultoribus,

Unde faciliùs,
Vel utrosque inter se committendos, vel hos contra illos in sui societatem belli trahendos;
Hac coniunctione opis Anglicæ bellicæ,
Belgicam sibi suam, & Americam fore tutiora;
Galliam contra quàm periclitaturam maximè;
Suas hinc inde distractas per orbem vires,
Nuperam per pacem Hollandiæ connexas,
Sic iri & connexum Angliæ;
Galliæ verò redactum in arctum utrobique iri.
Sagax itaque temporum rerumque aucupator,
Hac occasione non omissa, misso in Angliam Oratore suo
Marchione Ledæo,
Plenis munito mandatis, *Largo promissis*,
Cuncta ista Anglis asseverare iussit;
Suam primò amicitiam,
Ad omnes novæ Reipublicæ eventus casusque utilem,
A vicinis maximè metuendos Gallis,
Eo redintegrandam usque cum Anglis,
Quæ non fœderi modò inter se æquali,
Sed novis quoque potentiæ momentis locum aperiat;
Gallos hodierna Caleti ac Rupellæ possessione depellat;
Principem quippe Condæum,
Milite ac militari armatum pecunia,
Gallum in Galliam iturum,
Præsentia perosam, ad discordias pronam;
Condæum terra, Hispanos, Anglos mari Caletum obsessuros:
Captum Anglis cessurum in fœderis præmium;
Post,
Pari fortitudine ac fortuna tentaturos Rupellam,
Faventem Anglorum Religioni, religionis caussa facile tumentem;
Et hanc expugnatam in Anglos cessuram.
Reliquas Galliarum Civitates,
Religionibus mixtas diversis,
Miscendis turbidas seditionibus,
Suopte ad nova inclinantes ingenio,
Venientis fama exercitus Hispano-Anglici,

Statim in partes transgressuras:
Cetera Rex legati prudentiæ libera liquit,
Consilia, artes, ambitus, fastigium Hispanicum,
Vel ipsam Anglis submittendam Dunkirkam,
Obtinendo eorum federi;
Addendo rebus inde Hispanicis grandi hoc momento,
Domando hæreditario suo in Italia, Catalonia, Belgica, hosti,
Gallo,
Hinc per montes pyræneos in Narbonensi,
Ex Italia in Lugdunensi Provincia,
Ex Belgica in Picardia, Campania, Nortmania,
Debellando,
Alibi,
Classe una ad Caletum, altera ad Armoricam,
Tertia ad Rupellam, quarta ad Aquitaniam obversa.
Hæc illa erat mens Hispanica.

III.

Hîc,
Christianissimus Galliarum & Navarræ Rex,
Summi inde discriminis non incuriosus,
Minimè pro se securior, nunquam pro Regno sollicitior,
Ratus,
Pro tam necessaria ac honesta regni defensione sui,
Et sibi contra Hispaniam, quod Hispano contra Galliam licuit, licere,
Itaque,
Fedus Anglicum tempestive tentavit, opportunè obtinuit,
Depulso Hispano,
Æquis conditionibus, post tradito in federis pignus Mardico.
Atque sic gnaviter & fortiter,
Una ex parte,
Hæc Gravia Hispani Consilia,
Exitiosa in Galliam parata & intenta fulmina,
Cardinalis
Perspicacissimo prævisa oculo,
Properrimo ac prosperrimo interversa ausu,
Perrupit, disjecit, calcavit:
Altera ex parte,

Quia Galliæ quam maximè interfuit,
Vires illis in oris habere maritimas,
Habere verò aliunde nisi ab Anglia non potuit,
Nec has tutas tuto nisi in portu,
Nec securas, certo nisi pignore firmatas,
Hoc est, tradito Mardico:
Hoc ergo minimo, & hostibus erepto loco,
Levi veluti ex lege Rhodia Jactu,
Galliam ab imminente periculo servavit incolumem,
Maritimarum interjectu virium,
Nudum ibi ejus latus sepivit,
Hosti illo in mari obicem posuit,
Commerciorum in Flandria aditum exitumque interclusit,
Viam reciperandæ Dunkirckæ, Gravelingæ terrâ marique aperuit,
Uno verbo,
Quod Hispanus Galliæ intentare cogitavit, Rex occupavit.
Illæso suo, regni, religionis, honore,
Magno nisi Galliæ Europæ bono cæteræ,
Averso tamen utriusque malo maximo,
Irreparabili Hispaniæ damno, irrevocabili damni ira,
Reciprocante perpetui doloris æstu.

IV.

Atque hinc illæ per Galliam, & Germaniam sparsæ querimoniæ,
Tumentium nonnullorum specie Gallorum,
Illius ante alios,
Seditiosa Meditatio, exprobratio, occlamatio,
Sub imagine tamen,
Religionis Catholicæ, Regionis patriæ, Curæ publicæ,
Prætextu
Gallo-Anglici federis, & traditi Anglis Mardici,
Verius,
Livore præsentis ministerii,
Ipso coram Rege, nomine Regni, Orbis & Europæi,
Ipsum contra Regis Regimen, Regii stationem ministri,
Irreverenter effutita,
Nullo suffragii iure,

Arte

Arte prorsus demagogicâ,
Ficto Regni studio, se sine quasi labantis;
Quæ cuncta *sunt falsissima*
Meditamenta invidiæ
Nugamenta Calumniæ,
Irritamenta Malorum,
Flabella seditionum,
Occulta Conspirationum,
Retegenda, retundenda, *opprimenda, dum invalida adhuc.*

V.

Ac primo Mardicum,
Nil nisi Vallum arenaceum, portus, statio navium,
Ubi nulli, præter nautas & milites, incolæ;
Nullæ Basilicæ, nullæ ecclesiasticorum,
Secularium, regularium, vel sacrarum virginum,
Domus, privatæ vel publicæ,
Oratorium, & Altare unicum, & intactum;
Ergò,
Nullæ horum læsæ religiones, nullæ violatæ majestates
Dei, aut Sacrorum,
Missis ibidem à Gallo Anglis;
Immissis olim ab Hispano Romam Iberis,
Sacraria expilata, sedis Apostolicæ auctoritas exauctorata,
Petri successor vinculis Romæ, ut olim Petrus Hierosolimis, irretitus;
Et en scelus!
Ficto in doloris speciem ex ejus captivitate mœrore,
Illudendo Christi vicario, christianæque religioni,
Jejunia, preces, supplicationes publicæ,
Belgio & Hispaniæ pro eius libertate indictæ;
Exemplo nullo Gallico, gravissimo Hispanico, & hactenus inaudito,
Ecclesiæ mero ludibrio Catholicæ,
Quam
Reges Galliarum Christianissimi eiusdem filii primogeniti,
Humillimè semper ac devotissime coluerunt,
Sæpius afflictam tyrannide victricibus armis liberarunt,
Gementem ac titubantem suâ præsentia refoverunt,
Refotam muneribus preciosissimis exornarunt,
Denique dominiis, quibus adhuc fruitur, amplissimis locupletarunt,

Quid verò ab Hispanis boni unquam acceperit illa,
Sacramentum est,
Porrò,
Non refert, federati cuius sint religionis,
Quia,
Federa sunt pacta hominum erga homines,
Sunt belli, regionis, non religionis conventa;
Huius inde intertrimenta,
Qualia in Archi-catholicorum exercitibus sæpè pejora,
Ad armorum, non federum, culpam trahenda,
Quippe fortuita.
Stante regno, aut cuiusque statu,
Caussam suæ quisque religionis præstat incolumem.
Qui aliter sentit,
Huius iudicium est in politicis nullum, in religione superstitiosum,
Si quoque,
Uti juris Consulto visum & aliis,
Loca ab hostibus capta, omnia desinerent esse sacra,
Id tamen certa aliis ac meliori opinione aliter visum,
Gallis hîc & alibi etiam cautum.
Tandem,
Eccur integer religionis Hispanus,
Rupellâ, Caleto divorum Fanis, religiosorum sodalitiis referto,
Anglis promisso, victoribus cedendo?
Solus verò læsæ reus religionis Gallus,
Unico iisdem tradito Mardico,
Religionum vacuo?
Hem!
Quam necquidquam cœptat iste coram Rege nugari,
Repetitis Rhetorculorum more & ore interjectibus,
Potest ne fieri? fieri ne potest?
Quin non potest fieri;
Quia,
Si possit fieri, belli fortuitum est,
At, in quo possit fieri, ibi locorum deest,
Et ne possit fieri, ibidem præcautum est:
Hæc federibus exteris addita ac observata eximiæ securitatis Clausula,

Sacris

Sacris Romanis utrinque præcautis,
Sartis tectis, intemeratis ubique servandis.

VI.

Secundò,
Præcipua Europæ pars,
Quæ in præsenti negotio vera dicit,
Testis est sanctissima,
Christianissimum Galliarum & Navarræ Regem,
Ludovicum, felicis nomenclaturæ XIV.
Peculiari Dei providentia,
Humano tam generi, genti quàm suæ datum,
Celebrata majorum memoria,
Quorum,
Qui isto præcesserunt itinere,
Vestigia sequi honestissimum,
Religionem Catholicam,
In federibus cum exteris ab ea aversis,
Suecis, Anglis, Hollandis,
Summa hactenus cum cura habuisse,
Media inter federatorum arma fovisse,
Nec ullum fuisse, nec fore experimentum contra,
Idem ejusdem juxta intendisse Ministros,
Horumque, cui secreta regni innituntur, præcipuum,
Qui,
Religionem in federibus,
Federa in fide,
Fidem in pactis,
Galliam in fortuna,
Fortunam in potestate,
Hostes in metu,
Retinuit;
Cujus,
In religione zelum,
In negotiis dexteritatem,
In consiliis prudentiam,
In federibus sagacitatem,
Gallia experta,

Cætera Europa admirata est:
Quem
Recta consulta Amicum,
Utilia monita Solertem,
Diversa experimenta Felicem,
Ingruentia adversa Magnum,
Regno probarunt,
Fides vero,
Omnibus aliis meritis, cunctis laudibus pretiosior,
Quam divina diligunt, mortalia venerantur,
Totum,
Regi Domino suo.
Hic,
Qui omnia instituta factaque sua dirigit,
Ad Regis honorem regni incolumitatem,
Sociorum securitatem, inimicorum terrorem,
In uno,
Quod cunctis benè ac sapienter cæptis antehabendum,
Et in quo cardo rei hodie vertitur totius,
Se ipsum quasi supergressus,
Fœdus Anglicum,
Regi suo asseruit, Hispano idem impensius ambienti præripuit.
VII,
Tertiò,
Nullæ est honoris regii læsio, summa ejusdem gloria,
In hoc Hispaniæ prærepto, Galliæ addito status momento;
In tot aversis regno imminentibus;
Ingruenti occurrere tempestati sapientis est,
Benè de confinibus merentis,
Objectare molem flumini crebrius inflare solito,
Ne adjacentibus superfundatur.
Laudatorum mos Regum,
Caussas mali anteire, ne regno malum accidat,
Nulla inde doloris Gallici plaga, tota ejusdem præventa,
Hosti inflicta,
Nulla Galliæ oppressio, occupata ejusdem liberatio,

Ex cuniculis in eam actis ab hoste, in hostem redactis:
Nullæ legum, regni, ecclesiarum in Gallia imminutiones,
Utrarumque redintegrationes, communitiones,
Resecto hoc ab Hispania federe,
Omnium libertati intentatura terrorem.
Nulla causæ communis turbatio, cauta illius conservatio,
Intercepto hoc Hispanico Gallicæ internicionis telo:
Nulla quoque, *nisi læta in posteros fama, pulchrum pacti Regij præmium*,
Hostis opprobrium:
Nullus inde seditionis metus, hæreseos motus,
Unde manifesta regni indemnitas, religionis securitas pacta,
Recte facti utilitate à bonis expensa Gallis,
Sequiorum calumnia susque deque habita,
Huius præcipuè cavillatoris,
Qui privatim impatiens, in publicum exitiosus,
Fomenta turbarum per hanc infestam orationem quærit,
Falsa quævis obtundit & obtendit.
Hactenus nemo fuit,
Qui Hispani in Galliam dominium, Galli torporem ac servitium concupivit,
Ut non eadem ista usurparet meditamenta.
Quisque ille sit,
Vult videri vindex regiæ autoritatis contra alios,
Quos iste falsò usurpatores dicit,
Qui istum merito nugatorem dicunt:
Vult iste haberi sacer Regis doctor & consultor longe melior aliis,
Quos iste veluti Monarcharum, Dei contemtorum, flagella flagellat,
Gemino, Gemoniis digno scalis, improperio,
Regis, artes quasi malas referentis,
Consiliariorum, easdem ipsi quasi suggerentium;
Qui ipsum triplici rectius damnant judicio,
Regis, primorum, plebis,
Tanquam malorum optimum Demagogam,
Infestum Regis insectatorem,
Iniquum consiliorum Aristarchum,
Maximè vero
Istius *novum monendi* Reges *commentum*,

Gementem populum,
Pessimum boni publici, regni, consultorem,
Suæ, non publicæ studiosum rei,
Rerum novarum novo sub Rege semper cupientem pavidumque,
Vetera ferentem rumoribus mala;
Sæpe ubi, uti nunc,
Nulla gemendi caussa, quia nulla patiendi inde expectandique adversa,
Sed larga lætandi, gratandique materia;
Obtrectator iste,
Quæ bona sint regni, quæ plebis commoda, nescit:
Scit concire gregem, fallere falli nescium Regem,
Hoc suæ declamationis flabello,
Quam,
Nulla Regis, nulla ministri adulatione,
Justissima ipsius cavillatoris increpatione,
Quilibet *bonus tenetur Gallus*, ac Regnicola,
Explodere, refellere, revellere, projicere, dilaniare;
Nisi forte relinquere satius,
Nam spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur,
Quin *ipso hoc momento*,
Hæc talia *falsa vanescunt*.

VIII.

Quartò,
Regium est benè facere & malè audire:
Rex,
Cujus mens cuncta anquirit, cuncta rimatur,
Nec aliorum offundi caligine, nec flecti artibus sueta;
Nec sortis extorrium ignara consanguineorum,
—— —— *Miseris succurrere jussit*,
Donativis largis, ac cuncto eorum paratui paribus,
Impensas vel ante suas,
Ita *regiorum* edicunt *quæstorum libri* rationales,
Testes prorsus *idonei*,
Reginæ præcipuè tot in annos solutis volenti exuli,
Amitinis quoque eò usque provisum largiter,
Dum per Regis, & ipsorum extorrium licuit statum,
Utrorumq; postea se inter comparato,

Et comparatis boni ac mali rationibus,
Prudentissimi Regis Ministri,
Nullâ nebula Regis menti offusa,
Nec eâdem à propinquorum miseratione detorta,
Nec his ab ullo ad-miseranda in Belgio alimenta redactis,
Sponte sua, é Gallia, hoc rerum nexu, digredi volentibus,
Ac digressis;
Nulla quoque officii gratia in alterius honorem suscepti,
Nullo cujusdam metu,
Solo Galliæ emolumento, Hispaniæ detrimento,
Benè, sapienter, tempestivè,
Rem Regni, rei extorrium, commodum omnium, commodo paucorum;
Prætulerunt;
Quia,
Tunica pallio propior,
Magis in oculis Regni, quam alterius conjunctio,
Notaque vulgo res,
Sceptrum Regis (mariti quanquam) *semper est cælebs*,
Nemini per affinitatem, necessitudinemque connexum;
Nihilque stultius, quàm alterius caussa concire Regno malum;
Illa propinquitas,
Quæ tanto cum Regni intentato periculo,
Parvo propinquorum, magno Hispani lucro,
Fovenda venit,
Ultrò cedit prudentiæ regulis,
Quæ semper id, quod in præsens expedit, expetit,
Cavetque, quæ non putantur emergere,
Multò potius, quæ jam videbantur imminere;
Quia deinde,
Galliam inter & Angliam pactum,
Exirent,
Hinc Lutetia, illinc Londino suspecti,
Turbare federatas nationes promti;
Quo maturius expenso,
Resistere in Gallia ipsi propinqui non sustinuerunt, recedere voluerunt.
Hoc memorandum pactum, hoc summum prudentiæ monimentum,
Cavillator iste,

 Quod

Quod in Galliæ gloriam, ministri laudem vertendum,
Vertit,
Verborum inani lenocinio, vanorum mendacio,
In Galliæ dedecus, ministri nunc timiditatem, nunc malitiam, nunc vindictam,
In Protectoris arrogantiam;
Ipsum fedus æquale in inæquale, & cum imperii Gallici imminutione quasi,
Cujus nulla sunt vestigia, onera nulla, nec manentia, nec transitoria,
Nisi imaginaria,
Cessum in præsens tempori, umbræ, malo, si quod est, minori,
Ut maximum evitetur,
Ab Hispano imponendum Gallis, à Gallo impositum Hispanis;
Regis Majestate toto in federe servata illibata,
Honoratiori quanquam obsignato nominis additamento,
Solito Regum Dominos erga magnos titulo,
Quos inter ille,
Parvi cujusdam veluti mundi Dominus, ac curator,
Prior ab Hispano receptus est;
At non est istius *æstimare*,
Quo quem Rex nomine appellet;
Multo *minus incilare*,
Nominati præteritam sortem, divinare futuram mortem,
Omnium *minime sugillare*,
Tanti famam Regij Ministri,
In ferreis hostium arcanis introspiciendis,
Lincei,
In rebus Domini sui purâ integritate administrandis,
Primi,
In eligendis constantius melioribus, declinandis peioribus,
Politici,
In Regis mente rectè assequenda, feliciter exsequenda,
Industrij,
In cuiusvis rei sententia sine cuiusquam ira ac studio aperienda,
Erecti,
In libero Angliæ statu agnoscendo, federe Anglico amplectendo,
Circumspecti, religiosi, cunctabundi,

Nec

Nec nisi diu post Hispanum, Galliæ extrema inde minatum.
Frustrâ itaque obtrectator iste anxius est religione ac cessione Mardici,
Fervidus invidia Cardinalis,
Frustra huius Fastigium in insectationis materiam,
Frustra hoc fedus in Regni diminutionem accipit,
Frustra effert in odium, diducit in studia, traducit per compita,
Magna quanquam irreverentia,
Pari audacia, gemina malitia,
Quæ tria heic in eodem perfectionis gradu concurrunt,
Irreverentia Dei est,
Prætexere religionem suæ calumniæ,
Audacia erga Regem est,
Illigare huius facti laqueis eius conscientiam,
Malitia totius rei est,
Vertere opus mere politicum in religiosum:
Sed salva heic omnia;
Religio, Regis conscientia, pacti facies;
Mardicum militibus, non concionatoribus Anglis cessum;
Et quidem contra Hispanicam regionem, non religionem;
Ex certis prudentiæ rationibus luce meridiana clarioribus,
Nullis ex extraordinaria sumtis Politica artibus.
Galliæ Regis conscientia inde æque integra ac pura,
Quam Hispani,
Promissa Rhætis ad fedus venturis facultate sectæ,
Tradita Hollandis libertate, pace,
Quam Austrii ac Poloni, facto cum Dano, Brandenburgico, Moscovita, belli federe.
Pacti denique facies rem aperit omnem;
Illud sugillator nec divino nec humano ait innexum iure,
Ego utroque;
Uter rectius, iudicet utroque Jure consultus.

IX.

Amicitia, contractus, *federa, discrimen religionis ignorant*;
Hæc justa sunt, ex justa caussa contracta,
Etiam cum minimè Catholicis;
Teste eorum natura, naturæ iure, iuris usu;

Jun-

Juncti bellico olim federe,
Teste non levi, nec Machiavellica, sed vera, ac veteri Theologia,
Abrahamus pius impiis populis, Asmonæi legis reverentes Romanis paganis,
Jonathas nunc Alexandro, nunc Demetrio, nunc Triphoni,
Reges Hispaniæ,
Teste Annalium fide,
Alphonsus Hispalensis, Ramirus, Alphonsus castus, Sanctius Castellanus,
Ferdinandus sanctus, Petrus Legionis Rex, Alphonsus Castellanus, Mauris,
Rudolphus Habspurgensis Tataris, Rex Hungariæ Dano, Mosco,
Poloniæ Rex Præcopensibus,
Hispanus nuper Rupellanis, & Roanii Ducis asseclis,
Quos fovit, in ipso rebellionis conatu pecunia juvit,
Roavium menstruo ingenti stipendio,
Hoc commune omnium jus est, & communis juris usus,
Ergo & Regis Galliæ.
Ergo & is *sumat federa ex temporum & locorum occasione*,
Absque religionis contagio in hoc commilitio;
Ergo & is Angliæ federatus, læsæ religionis non est reus;
Ergo & is exteris circumdatus auxiliis, non est inexpiabilis,
Ergò *nec ei* qui *alterius impetitur insidiis, invidia fieri debet,*
Si securitatem quærit, non Suecorum modò, sed & Anglorum federe.
Exemplo Avi, Patris, Anglis, Batavis olim sociatorum;
Quis ullo obtestatus jurgio,
Perditam in Brabantia religionem, Sylvanecto, Breda Bataviæ cessis.
Aut in Gallia tot urbibus Hugenoticæ traditis turbæ,
Necessitate regni tranquillè servandi,
Annè Rex Galliæ,
Habet, quas habuit olim Hebræus populus, *disertas promissiones,*
Victoriæ, Regni, incolumitatis,
Si observet præscriptas leges?
Cetera,
Securus in utramque dormiat aurem?
Nec circumspiciat externa auxilia, sed illa relinquat in sui exitium hosti?
Adestnè Deus otiosis, nec industriis?
Hæc absurda hîc velle videtur admonitor iste;
Sed

Sed & ista longè vaniora;
Mardicum Anglis cessum esse locum Catholicorum religiosissimum;
Idem nudari maiorum, novorum inundari religione,
Hoc factum nulla excusari posse subtilitate aut levitate,
Artis Politicæ vel largioris conscientiæ aut vanioris aulæ,
Sola idem inniti status ratione imaginaria,
Idem veteri Galliæ hoste insessum firmari in Galliæ excidium,
In veterum Angliæ Iurium sustentaculum; Huguenotorum in Gallia clientelam?
Primum negat totus Catholicorum orbis, alterum federis fides & clausula,
Tertium ac quartum validissimis supra subversum rationibus,
Veræ prudentiæ, conscientiæ, necessitatis, securitatis,
Servandæ Galliæ, disturbandæ Flandriæ, & commerciorum negotiationis,
Quintum Gallorum providentiæ ac potentiæ contrarium,
Stultorum est, *prætimere qualibet,*
Gallorum, præsenti consulere securitati,
Nihil pati, quod in ius transeat:
Nocet in metuendis securitas, in securis metus, in vicinis patientia:
Status Angliæ novus vetera dissecuit Regum Jura,
Providus Galliæ status novas Huguenotorum clientelas;
Et cæteras Lutetiæ turbas:
Solet iste, prurigine sugillandi,
Cuncta talia narrare, exprobare, non probare,
Præsentia calumniari nemo debet, qui saltim futura coniectare potest,
Adversum quæ satis superque à Gallia provisum,
Reliqua, quæ idem hic prodit, produnt,
Hinc magnam rerum Gallos inter & Anglos ignorantiam,
Quos ne in extremo sociandos opinatur obstinatius;
Isthinc parem erga Regem irreverentiam,
Cuius iste pietatem, sollicitudinem, prudentiam, fortitudinem,
Duriori incilat ore,
Illam ut *divini favoris irreverentem, eam* ut *supinam, istam* ut *improvidam, hanc* ut *meticulosam.*
Verùm velim sciat, audiat, nolens, volens,
Quod non sine fastidio repetendum, toties iam dictum;
Mardicum, vicinum Dunkirkæ portum, Anglicæ opportunum classi,
Belli motu, non Angli metu, cessum;

In fidei pignus, militiæ receptaculum, Hiſpani carcinoma,
Non in federis pretium, nec religionis offendiculum,
Nec in ſplendoris Regnique Gallici inumbrantem diminutionem,
Nec in occaſionem Lutetiæ, ſed turbandæ, Dunkirkæ:
Hæc iſte nugator fingit, in maius extollit, & in cedentis invidiam,
In ſcævum Galliæ omen poſteræ;
Non eſt viri boni, ſed *ſycophantæ ars*,
Metus Regi rimari, aut Regi intentare metum,
Atrocioribus Anglorum quaſi deſideriis, auguriis, minis:
Adverſus quæ Rex conſtans, ac metu vacuus,
Nec ab intentante metum, metus quærit remedium;
Neque eſt boni vatis, ſed fatui effatum,
Tot Caſus eventusque ex Mardico Anglis ceſſo prædicere,
Cromvvello ne per ſomnium cogitatos;
Sunt hæc cogitata inſipientium, ſomnia vinolentorum, optata malevolorum,
Conſilia ignorantium præſentem Galliæ ſtatum,
Regna præminentis hodie cetera,
Potentiâ, opulentia, militia, peritia,
Provinciis, viris, viribus;
Hoſtibus formidoloſæ, formidantis neminem:
Cujus faſtigium longè diverſum à veteris Galliæ veſtigio,
Hodiernus Rex à Regibus Carolis VI. VII.
Machinatore olim malorum Philippo Burgundo,
Injuriis Angliæ Regum Henricorum V. VI. expoſitis,
Favore Fortunæ, manu puellæ reſtitutis,
Hodie,
Ea Galliæ Regis eſt autoritas, ea fama, illa virtus;
Sua ut in manu habeat arbitrium,
Belli, Pacis, ſui cuiusque ſtatus, potentiæ in æquilibrio tenendæ,
Federatorum arma ad omnium quietem ac ſecuritatem habendi;
Ea denique ejusdem eſt prudentia, ea *vigilantia Miniſtri*,
Ut ipſi in promptu conſilium & auxilium,
Eventura fortiter prævertendi, ſuſpecta cuſtodiendi,
Hæc Anglicæ vicinitatis terricula aliò vertendi:
Huius denique tot vicibus hic repetitis *utinam*,
Hoc quidem imperioſiori rejiciendi,
Utinam tandem iſte de Rege, ejusque ſtatu deſineret blaterare!

X.

Præsumti hactenus Gallici caussas periculi,
Nullas iste attulit probabiles;
Nunc verò,
Quos ex intimo Protectoris recessu resumit,
Futiles planè & ad tantæ declamationis fidem inutiles,
Eo debiliores, quò abstrusiores:
Apage quæsò ab auribus Regis,
Fortuita conjecturarum, fallacia suspicionum, abdita intentionum,
Arcana inania,
Tanti fedus momenti,
Tanti fides federis,
Eiusmodi subverti nequit auguriis, probationum minutiis,
Tot contradictorum commentis,
His convitiorum plaustris in convitiatorem rejiciendis;
Iste concitat Galliam in Galliam,
Minister Regius Galliæ hostes exteros frangit & internos;
Iste surgentes in Protectorem partes vocat,
Minister Regius easdem ubique avocat,
Iste Protectorem avarum, ambitiosum, incredibilium cupitorem,
Accensis in Galliam cupidinibus immoderatum pronunciat,
Nec videt forte *manticam ipse suam, quæ in tergo est*:
Et vult videri internus aliorum cordium inspector,
Metus in Rege secreti, diffidentiæ in Protectore:
Jactat utrosque mira animorum dislociatione societos,
Mox dissociandos;
Hic sanè mirari ac detestari licet,
Audaces hominis de Regis ac Protectoris animo conjecturas,
De nullius animo quæri convenit, nisi ubi de facto constat,
Nec cuiusquam animus argui, nec sugillari potest,
Observari, caveri, præveniri debet,
Vt Galliæ noceri non possit, aut non velit,
Junctus Protector Galliæ, quàm Hispaniæ videtur,
Non stolidis cupiditatibus, sed solidis rationibus,
Vel *utilioris*,
Cum Gallo *amicitiæ*, inimicitiæ cum Hispano,
Vel *majoris*,

A vi-

A vicino Gallo *mali metu, boni spe,*
Unde & olim tot inter se inita fœdera, coniugia;
Vel *accipiendæ,*
Cuiusdam in America *partis*, nullius in Gallia:
Quidquid sit,
Non est huius admonitoris, occulta fœderatorum scrutari,
Nec *ominari* ante tempus *magna & atrocia*:
Nec tantos fodicare viros stilo verborum maligniori,
Nec scribere in eos, qui ipsum possunt proscribere:
Nec tanta aggerere probra, quæ seculum non audivit,
In Ministrum, qualem seculum vix habuit,
Cui abundè sufficit,
Quod est à Rege probatus,
Quod eius prudentia, fides, cura, spectata,
Tàm asperis, quàm prosperis ministerii initiis ac progressibus,
In Sabaudia, Italia, Catalonia, Flandria, Germania,
Internis Gallorum sibi ipsis hostium motibus,
Tandem quoque
In hoc ipso cum Anglis memorando fœdere,
Dextre suscepto, sagaciter tractato, solerter perfecto:
In quo,
Tantum Galliæ providit, quantum Hispaniæ invidit:
Vicinum Galliæ amicum, hosti hostem suscitavit:
Nam,
Non minor est felicitas, vicinum habere concordem,
Quàm vicinum malum coercere bellantem.
Pati,
Duo ut summæ potentiæ vicini in fœdus contra Galliam coalescant,
Summæ est somnolentiæ;
Utrosque habere hostes,
Periculosæ res aleæ;
Eosdem nec separare, in se concitare,
Extremæ imprudentiæ.
Hîc nunc,
Judicium nemini est in incerto amplius;
Vox populi vox Dei est,
Galliam inter & Angliam,

Bene,

Bene, ſapienter, providenter, utiliter pactum,
Tradito Anglis Mardico, vel altero tanto,
Abacto ab Angliæ ſedere Hiſpano.
Unde,
Tanti ſuaſor pacti, adverſus convitiorum turbinem,
Suis ſtat meritis, ac recti conſcientia facti,
Immotus,
——— ——— ——— *Vt pelago rupes expoſta patenti,*
Ventorum furias, undarumque irrita temnens
Murmura.

XI.

Quàm porrò incondita hîc injecta Batavorum æmulatio!
Licuit iſtis parum gratis, minus conſtantibus Galliæ ſociis,
(Suorum quidem pervicacia legatorum inde abruptis)
Qui ſuam libertatem Galliæ Regi debent,
Invito fido federato Gallo,
Cum Hiſpano convenire,
Improbo hoc probare exemplo,
Quod promiſſa in federe aliquando ſervare non liceat,
Quaſi pacis neceſſitate excuſatis,
Licuit etiam Hiſpano,
Diſperſas cum Batavis ſuas connectere vires,
Cuncta in Galliæ, & hujus clientes malum;
Licuit ergo & Gallo,
Cum Anglis contra Hiſpanum fedus inire,
Connexas Hiſpano-Batavicas disjungere vires,
Citra univerſi orbis Chriſtiani famam,
Veterum federatorum invidiam,
Eccleſiæ offendiculum, regii honoris detrimentum.
Nulla Batavicæ habita ratione æmulationis, aut alterius conſideratione rationis,
Nec magis illicitum Galliæ Regi,
Ut nuper Batavicæ à Rege abſciſſæ, ita nunc Anglicæ ſociari Reipublicæ,
Quàm non fuit ipſi Hiſpaniæ Regi,
Suis anteà ſubditis, nunc juncto ſociis Batavis,
Jungi nixo ipſis & Anglis:
Qui ſoli verè ſunt vetuſtiſſimi Galliæ federati.

Nunc è vicinia repetiti, reparati,
Multa cum invidia pariter ac gloria.
Quia,
Ne serva fiat Europa, undique vigilat Gallia,
Cuius vigilia perpetuum habet comitem aliorum livorem, hostium æmulatum;
Obtendunt alii religionem, & inhiant regioni:
Custodit Gallus regionem, nec offendit religionem.
Non suam evertit famam, cum aliorum avertit famem,
Unius in omnes dominii:
Non sedet iste inermis, ignava manu, socio nullo,
Ad lubitum illius,
Omnes & omnia moventis, turbantis, labefacientis;
Procul prorsus
Rex à vituperio fotæ hæreseos, recepti alterius quasi Attilæ,
Si talis ille,
Cur idem recipiendus ope Hispana intra mœnia Caleti, aut Dunkirckæ,
Nullo hujus nugatoris improperio, penè voto?
Qui,
Pravitate insectatur Galli factum in Galliæ Bonum,
Eadem pravitate probat Hispani tentatum in Galliæ malum.
Qui maligno ore, quæ non capit, carpit commoda,
Anglici federis maxima minimo Mardico firmata,
Contrà,
Eiusdem incommoda vecordi inflat facundia;
At,
Forent quædam inde incommoda Galliæ,
Vt fere nullum est civile negotium, quod sua non habeat incommoda,
Ea, si cetera respicias, aut in levi habenda, aut plane nulla.
Reliqua vero huius scripti obtrectatorii,
Vel ut falsa, vel ut invidiosa, vel ut insidiosa,
Vilipendenda, explodenda, damnanda:
Maxime hæc, hîc subtiliter excogitata iniquitatis mysteria,
Ex ipso obtrectatorum, blasphemorum eruta baratro,
Quibus iste non veretur instinctum prætexere divinum,
Quandam sanctioris monitoris pietatem,
Cuius hîc horrent alii impietatem.

XII.

XII.

Excusso hactenus Jaculo,
Quasi læsæ religionis, regiæ existimationis, rei totius Gallicæ,
Elidendum nunc aliud federi illisum telum,
Belli scilicet Galliam inter & Hispaniam perpetui!
Hoc ex tradito Anglis Mardico arreptum, quantum potest, torquet,
In federis odium, populi seditionem, Ministri livorem;
Miserandis suspiriis, anilibus deliriis,
Pacis penitus exspem proclamat Galliam,
Quasi emortuæ, elatæ, Mardici humatæ;
Miserias contra belli perpetuas indies redivivas, augendas.
Verùm,
Non despondete animos Animi ô magnanimi, nec tollite eosdem,
Pax salva est, proprior, honestior, quàm unquam,
Quia primo,
Anglus dispat quibusdam,
Non Polypi instar, quidquid tangit, tenet, sed reddit;
Quod Priscis experimentis cognitum est:
Nec difficilior, nec cæteris æternior Anglorum Protector,
Nec fedus æternum, nec æterna loci possessio,
Durat hæc, & exspirat, cum federe:
Cuius Angli fides præs, Galli potentia arbitra est;
Quia quoque,
Mardicum, parvum vallum, non celebre Mardritum, ab Anglis insessum,
Reddendum, reddita orbi pace,
Quia denique,
Pacis tanto cupidior, properior, nunc & æquior debet esse Hispanus,
Quantò hodie undique artior,
In periclitante Flandria, nutante Italia, tumente Neapoli.
Ingenio cunctator Pacis Hispanus,
Mole nisi virium victus, & coactus,
Pacis caritate bellum non deponit;
Ergo cogendus est;
Cogò verò non potest, nisi magno necessitatis telo.
Sanè,

De pace, de omnium libertate actum, conclamatum fuisset;
Recepto in fedus Anglicum Hispano, Anglo in portum Iccium;
Quinimò
Orbis Christianus geminos in utroque mari habuisset Turcas,
Religionis specie impares, consiliis pares;
Hactenus
Angliæ Protector nullius Pacem turbavit,
Minime omnium Cardinalis,
Pacis inter Reges non coalitæ obices, Lusitanus, Condæus & Lotharingus,
Imò ipsa pax Hispanica cum Batavis facta;
Apta quasi debellando Gallo jam dissociato;
Unde Hispanus,
Quò prius ad pacem visus pronior, eò fuit postea ab eadem aversior,
Aversissimus,
Audito tum in Gallia motu, nova belli spe, Principum custodia,
Sui oraculo Legati,
Rebus Galliæ mutatis, mutandum pacis negotium.
Et talis etiamnum est,
Pace hactenus in suum dilata malum:
Suecus quoque à vicinis & aliis, Dux Modenæ ab Hispano,
Neuter irritatus à Cardinale:
Quem iste sugillator undique, hîc quam acerrimè insectatur,
Irritato, at irrito, ore;
Publica ipsius beneficia, vertit in maleficia;
Infamat innocentis famam;
Aspergit probro probum circumspecti ministerium,
Ad quod ille, fatis non invitis,
Per adversa, propria per experimenta pervenit,
Periclitanti subvenit regno:
Hactenus,
Expertæ virtuti, Regis voto, spei omnium,
Felicissimè respondit,
Calumniarum inania respuit,
Bonus consiliis, quantus sit, *innotuit*,
Tribus præcipuè magni momenti negotiis,
In quibus nihil sibi vis, fortuna nihil, omne sibi vindicat
Ministri

Pruden

Prudentia, solertia, sagacitas, dexteritas.
Quorum unum in Germania, alterum in Britannia, tertium in Gallia gestum.
Quæ,
Quia nota satis, nec extra gloriam, nec extra invidiam,
Hîc referre supersedeo;
Ne materiam præbuisse videar sermonibus,
Hæc aut in adulationis, aut in malignitatis fedum crimen trahendi.
Quorum non ultimum,
Rex, Regina, in regni securitate, regnum in incolumitate,
Populus in Regis obsequio, ipse in Regis ministerio,
Ipsis in mediis motibus sævientis pelagi,
Novercantis fortunæ,
Servatus,
Quod ante ipsum nemo præstitit, nemo nisi ipse præstare potuit.
Non memoro *æternum clementiæ exemplar*,
Lutetiæ, à modestiæ limite transversim actæ, datum;
Magna viri patientia, toties irritata, non irata.
Cogita hæc servati turbamenta regni, pacem toties, quæsitam, nedum obtentam,
Communem, universam, non quam quisque vocat rem suam,
(*Vera pax, non est unius aut alterius cura, sed totius regni provisa custodia.*)
Et,
E benignâ Grati animi memoriâ,
Rosas, non lapides, loquere, flores non probra, ingere Ministro.
Cujus quidem præcipua laus est,
Calumniatori displicere, probari opprobrium.
XIII.
In fine declamationis demum videtur,
(Nam proditorem ultima produnt,)
Quis sit, ac qualis:
Scilicet, qui ex hâc Galli larva prospectat, verus Galliæ hostis,
Cui potius votum,
Aurea Burgundi crux in Galliæ vallo visenda,
Cui ingens religionis ac status lucta,
Luctantibus pro Gallia Anglis, nulla iisdem pro Hispania luctaturis,
Cui melior Galliæ sors visa,

Hispano, quàm Gallo, potente Dunkirckæ, Gravelingæ, Ostendæ,
Ostiorum in Galliam hostilium;
Miror hominem Gallum adeò degeneraſſe à Gallo,
Versum album in melandrium,
Ignem in aquam, lilium in lolium,
Triticum in tribulum.
Deinde prospectat & inde,
Magna hominis de se, craſſa de aliis opinio,
Perquàm æstimantis perperàm,
Rectum se cernere solum, ceteros nihil:
Qua se juxtà fallit ac plebem, non oculatiores,
Plebs,
Vt ejus sunt mobiles ad religionem semel perculsæ mentes,
Religionis metu facile capitur, & decipitur;
Secus fortioribus nixi conscientiæ factique rationibus:
Hi *Regi, quàm parvarum domnum vati, melius parent,*
Polybio, quàm Numæ Pompilio facilius credunt,
Rationibus prudentiæ, quàm revelationibus Egeriæ.
Inde quoque emicat,
Ingens homunculi confidentia censendi de Regis, Domini sui, actis,
De summi consiliis Ministri,
Ejusdem cæpta & acta,
Quorum principium, causſam, finem, omnia habet nescia,
Referendi ad eiusdem apud populum invidiam.
Quàm ambitiosum,
Alienæ se rei nimis, quàm quispiam cupiat, ingerere!
Quàm indecorum,
Inde sibi famam curæ recipere publicæ,
Vnde alteri intendit parare infamiam.
Cuius tamen consilia boni publici,
Quàm, quæso, cauta, quam nota, quam tuta, quam expedita.
Quam evigilatæ ejus cogitationes;
Quà pacis, qua belli, qua federis, qua congreſſus!
Prorumpit eadem,
Inconsultior erga Regiam Majestatem irreverentia,
Nec minor oris impudentia erga curatores,
Regiæ tàm conscientiæ, quàm prudentiæ,

Quasi

Quasi omnes sine crucis honore, religionis ardore, regni amore,
Frigidissimi forent, ac temporarii inde, pendentes, athei,
Se contra,
(Credo homini incendiario)
Horum omnium ardescere æstu (forsan & astu)
Hoc ipsum nunc suum esse munus sacrum ac profanum,
Curare Regis conscientiam, religionis sinceritatem, regni securitatem,
Dare Galliæ,
Longam temporum quietem,
Continuum populi otium,
Unico omnium remedio,
Omittendi Gallo, permittendi Hispano federis Anglici:
Fidum sane boni Gallici consilium,
Aureo dignum vellere,
Tandem,
Seditiosus ventorum Turbo tanto inde erumpit impete,
Qui vel quietissimos quosque concitare,
Frigidissimos incendere,
Constantes labefacere possit.
Hic labor, hoc opus, hic scopus declamationis est,
Hostium armis adversus Galliam invalidis,
Eandem his oppugnandi, turbandi, labefactandi cuniculis,
Impio religionis abusu,
Male inligandi conscientiâ potiorem regni plebem,
Dividendi unius regni populum, unius populi animos,
Furandi debitum Regi obsequium, Ministro honorem,
Debilitandi Gallorum, augendi hostium vires,
Agendi occultum hinc inde seditionis flabellum,
Consilio, conatu, animo, ipso Numine.
(Heu quàm,
Grande scelus sacro velamine texit?
Siccine,
Religio velum est, quod tegit omne scelus?)
Huic alii frigidam affundunt ubere cado.
Nunc in Gallia, nunc in Germania, nunc in Dania,
Plenis inflant buccis buccinam Martis,
O utinam illius memores Euripidæi;

De Marte quoties itur in suffragia,
Nemo imminere cogitat mortem sibi;
Sed quisquis cladem destinamus alteri.
Quod si in Comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non periisset Græcia.

XIV.

Christianissime Regum,
Nisi pravitas tàm seditiosa docentium arceatur,
Eruptura est in publicam perniciem.

* * *

Appendix ejusmodi admonitionis damnatorius.
Admonitor iste geminus illi est,
Qui,
Anno CIↃ IↃC XXV,
Eadem, alia nec mente nec oratione, nec fine effudit,
In Ludovicum XIII. eiusque sanctius consilium.
Pari itaque dignus censurâ.

*

Prætoris Parisiensis,
Adversus similem quondam admonitionem,
Sententia:
Prodiit nuper inscriptus Regi libellus impius:
In quo
Dogmata damnanda, scelerata, seditiosa,
Continentur;
Quibus,
Civium animi ad rebellionem, regni perniciem, regiæ Majestatis violationem,
Concitentur.
Eum itaque libellum,
Perniciosum, sceleratum, seditiosum, falsis insimulationibus calumniosum,
Regiæ Majestati pestiferum,
Publicæ securitati perturbatorem,
Simulato religionis prætextu,
Rebellionum incentorem,
In platea Domus urbicæ,

Capi-

A Capitalium exſecutore judiciorum,
Lacerati, comburi jubemus;
Eius exemplaria,
Quotquot penes quoſcumque erunt,
Intra XXIV. horarum ſpacia,
Ad noſtrum actuarium,
Deferenda, ſupprimenda.
Interdicto ſimul,
Ne quis eum habere, legere, ſervare velit,
Ne quis typographus, aut Bibliopola auſit,
Excudere, vendere, proponere.
Qui aliter faxerint,
Capitali ſupplicio obnoxii ſunto,
Procuratori Regio injunctum eſto munus,
In eiuſmodi admonitionis ſcriptorem, typographum,
Diligenter inquirendi.
Et nequis obtentu ignorantiæ fraudem faxit;
Hanc noſtram ſententiam publicari, typographorum Syndico fieri notam,
Volumus, jubemusque.
Data, pronunciata, propoſita, exſecutioni mandata.
Propridi. Cal. N. cIↃ IↃC XXV.
Ex actis præfecturæ Pariſienſis.

*

Alius eiusdem cenſorius,
Sacræ Theologiæ facultatis Pariſienſis.
Admonitio illa,
Ab ignoto, at peſtilentiſſimo homine,
Aſtu incredibili
Scripta,
In Ludovicum Regem noſtrum,
Pietatis, juſtitiæ, clementiæ Principem,
Ejusque ſanctius ſecretiusque conſiſtorium,
Prorſus calumnioſa, contumelioſa, ſeditioſa:
Quæ,
Specioſo ſed fucato Religionis Catholicæ retinendæ, conſervandæ
prætextu,
Regni proceres ad fœdiſſimam deſertionem,
Populum ad univerſalem ſeditionem,

Hortatur, excitat, impellit,
Galliæ universæ pestem, perniciemque minatur.
Eadem itaque Facultas orat & obtestatur,
Reverendos Antistites, ac Magistratus civiles,
Huius regni æquissimos judices;
Ut post parricidarum vindemiam
Istam racemationem superstitem,
Pro suo in Regem, regnique salutem adfectu,
Quacunque ratione coercêre velint.
Actum in Collegio Sorbonæ solenniter congregatæ,
Calend. Decembr. CIↃ IↃC XXV.

*

Alia Ecclesiasticorum omnium de pari admonitione censura.
Liber ad nos perlatus, sine nomine, titulo, admonitionis ad Regem,
Qui,
Subdolo Catholicæ religionis obtentu,
Falso pietatis prætextu,
Improbat secretius Regis Consilium,
Minuit ejus autoritatem,
Deprimit eius Maiestatem,
Molitur Galliæ perniciem,
Grassatur contra regni securitatem,
Nostrâ sententia damnas esto.
Egregius verò admonitor iste,
Qui,
Oratione blandâ & ad suadendum composita,
Speciosis nominibus incautorum illabitur mentibus,
Non aliter, ac Medicus, audiendus,
Cuius tituli habent remedia; pyxides, venena.
Profitetur quidem libertatem,
Jactat charitatem,
Præ se fert pietatem,
Ostendit blanditias,
Unde putetur,
Ex libertate Theologus,
Ex ficta charitate, civis,
Ex simulata pietate, amicus,

Ex su-

Ex fucatis blanditiis, subditus.

Verùm,

Dum tàm liberè contra Regiam eius Maiestatem, sacrum eius Consilium debachatur,

Nemo putat reperiri posse,

In Theologo tàm putidam arrogantiam,

Ut federa Regis improbet;

In cive tam atrocem perfidiam,

Ut Patriæ quærat excidium;

In amico, tam virulentam acerbitatem,

Ut conterraneis imprecetur,

In subdito tantam superbiam,

Ut Regem, & regium insectetur ministrum.

Ergo hostis est, non pacis interpres:

Seditionis buccinator, Regiæ Maiestatis profanator:

Non admonet Regem, sed commovet regnum:

Faces in vulgus emittit:

Magistraliter omnia definit,

Affirmat audacter, probat insidiosè, calumniatur apertè,

Concludit diabolicè:

Cui obsistendum,

Ne simulatæ pietatis prætextu civium animis imprimat,

Quod in publicæ tranquillitatis damnum vertat.

Quem,

Ut calumniosum, contumeliosum, seditiosum,

Nostra damnamus sententia.

Actum olim Lutetiæ XIII. Decembr. CIƆ IƆC XXV.

In Cardinalium, Archiepiscoporum, totius cætus Ecclesiastici comitiis.

*

Senatusconsultum Parisiense,

Postulante procuratore Regio:

Adversus ea

Quæ dictâ sententia pro autoritate Regia, Regnique iure continentur,

Coitiones, aut molitiones ullas fieri, aliamve ab ea sententiam vulgari.

Senatui non placere :
Senatum in omnes,
Qui contra hæc fecisse aliquid arguentur,
Ut in publicæ pacis hostes,
Animadversurum.
Ex actis Senatus CIↃ. IↃC. XXVI. XII. Cal. Febr.

1. Pax Pax polono-suecica Olivæ d. 3 Maji 1660
2. Pax Germano-suecica Monasterii Westphalor. 24 Octob. 1648.
3. Pannonia perorata etc p. Joh: Wolff 1652
4. De sacræ coronæ regni Hungariæ ortu etc Petri de Reva 1652